



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum Christus hâc scientiâ vti potuerit non conuertendo se ad
phantasimata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

congruum ut illa nosset tanquam doctor, & proinde extra visionem beatificam. 3. varijs videtur probabilibus quod Christus meritis fuerit amando Deum supernaturaliter: non potuit autem mereri, si non cognouit Deum per scientiam infusam distinctam à beata, quia amor consequens clarum Dei visionem est necessarius, & proinde non est meritorius.

Neque repugnat S. Thom. verbis initio relatis, quia per illa solum vult docere Christum per scientiam infusam non cognouisse Deum immediatè per proprium & quidditativum eius conceptum, sicut potuit alia cognoscere. nō videtur autem negare omnem modum cognoscendi Deum per medium aliquod cognitum. Conf. non videtur esse impossibile quod tam Christus quam alij beati possint scientia naturali cognoscere Deum esse ex effectibus, & quod scientia beata non obster quo minus creatura possit Deum nosse noticiā sibi connaturali.

Dixi nō esse impossibile Christum nosse Deum per scientiam infusam modo explicato, quia non est ita certum, ut contrarium careat sua probabilitate, quod tenet Vasquez disp. 53. cap. 1. & Lorca disp. 50. num. 6. Nam ad argumenta allata non improbabilius dici posset cum Vasquez disp. citatā, licet viator ex noticiā gratiæ, visionis beatificæ, fidei, posset certò nosse Deum esse vnum vel etiam trinum, beatum tamen conformiter naturis rerum non posse inde novam Dei noticiam elicere, quia clarè videt Deum, ita rapitur & ita efficaciter mouetur ad assensum mysterij Trinitatis, ut ex alijs motibus non exciteretur ad alium actum eliciendum, quo de nouo cognoscat Deum esse; ut communiter dicitur quod non moueatur ad assentiendum quod Deus sit, ex eo quod aliquis ei dicat Deum esse, itaque beatus Deum clarè videns probabiliter non mouetur ut alio actu eū cognoscat ex eo quod suam vel alterius visionem cognoscat; & proinde neque Christus dicendus est ex his moueri, quem admodum nec dicendus est moueri ad huiusmodi actum ex eo quod scripturam eiusque sensum perfecte cognoscat, & quod ea sit à Spiritu Sancto reuelata. Quemadmodum quando aliquem videmus, naturaliter non mouemur ad formandum nouum actum quo cognoscamus illum esse ex eo quod aliquid nobis legat, vel aliunde eius scripturam nouerimus.

Ad 1. confirmationem responderi posset negando assumptum, & dicendo sufficere quod vel per beatam visionem, vel per scientiam infusam totum cognouerit quod cognoscunt viatores per fidem, neque necesse esse ut ponatur notitia vnius generis in Christo quæ in illo sit loco fidei, sed posse constitui varias iuxta conditionem & exigentiam obiectorum.

Ad 2. confirmationem dici posset clarā visionem Dei etiam deseruiisse Christo tanquam viatori, licet per eam esset comprehensor, & proinde per illam potuisset dirigi in ministerio salutis humanæ, sicut verisimile est quod eadem visio deseruiat beatis ad exercendos varios actus liberos, itaque cum id fuerit singulare in Christo, quod simul esset viator & comprehensor, non improbabilius dici potest eandem noticiam illi suffecisse ad videndum Deum, & ut per eam dirigeretur in actibus liberis quantum ad ea quæ spectant ad Deum & eius præcepta.

Ad 3. conf. respondet Vasquez disp. 74. cap. 3. negando Christum promeritum per amorem Dei su-

pernaturalem, sed per actus aliarum virtutum quos liberè elicuit, de quo exactius infra q. 19.

Dices Ioan. 14. dicitur, sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedi mihi Pater, sic facio, &c. ubi videtur indicari Christum promeritum ex illo actu dilectionis Patris.

Resp. neg. assumptum: nulla enim meriti ibi fit mentio, sed solum dicitur quod ex illa fuerit excitatus ad opus nostræ redemptionis peragendum, & commendatur Christi charitas & obedientia. Adde quod licet indicaretur meriti, locus posset explicari iuxta doctrinam tradendam q. 19.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus hāc scientiā vti potuerit non conuertendo se ad phantasmata?

NO Tandum animam mortali corpori coniunctam naturaliter non intelligere nisi præeunte & simul concurrente phantasia, quæ scilicet aliquid cognoscat, & à qua notitia dependeat notitia intellectiva, iuxta id quod dicit Philosophus tertio de anima textu 39. oportet intelligentem speculari phantasmata, seu ut patet ex Græco, cum phantasmate speculari; id est, præeunte cognitione phantasiæ, à qua dependeat intellectus in sua operatione. Cum ergo querit S. Thom. an Christus vti potuerit scientiā infusā non conuertendo se ad phantasmata, querit an in vfu huius scientiæ intellectus fuerit independens à phantasmatum concursu.

Respondet autem affirmatiuè. Prob. 1. Christus per hanc scientiam potuit cognoscere substantias separatas per proprium & quidditativum conceptum; igitur sine conuersione ad phantasmata. Conseq. prob. si nō posset eas cognoscere independentē à phantasmatibus, in vfu huius scientiæ dependeret à sensibus externis, qui non possunt representare vilius rei immaterialis quidditatem per proprium conceptum.

Conf. constat nos in hac vita mortali non cognoscere res immateriales per proprium quidditativum conceptum; quod non aliunde oritur quam quod nostra intellectualis notitia ortum habeat à sensu, qui non potest quidditates rerum representare. Si ergo per scientiam infusam posset aliquis ferri immediatè in ipsas rerum essentias, clarè intuendo res etiam spirituales ut in se sunt, signum est quod in huiusmodi notitia non dependeat à cognitione sensuum exteriorū vel interiorū.

2. species quæ deseruiunt scientiæ infusæ non hauriuntur à rebus sensibilibus, & proinde notitia orta ex huiusmodi speciebus non dependet à sensibilibus, & per consequens nec à phantasmatibus; cum ipsa phantasmata à sensibilibus deperdeant.

3. Christus secundum scientiam infusam superauit Angelos, non solum eo sensu, quod ipsa scientia secundum suam entitatem fuerit perfectior quam fuerit naturalis Angelorum cognitio, sed etiam secundum modum quo illam comparauit; atqui longè inferiori modo eam comparasset si in vfu illius dependisset à phantasmatibus. Addit S. Tho. quod anima Christi sit beata, & proinde non dependeat à corpore in operatione.

Responsione ad 3. dicit quod licet anima Christi potuerit intelligere non conuertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere se ad phantasmata conuertendo, quibus verbis non vult quod

notitia

Obieciat.

20.

Aristot.

Oportet intelligentem cum phantasmate speculari.

Sensus art. D. Thom.

21.

Resp. affirm.

Cur nō cognoscamus res immateriales per quidditativum conceptum.

22.

23.

Sensus respons. D. Tho. ad 3.

notitia sensitiua potuerit interdum antecedere cum dependentia ipsius intellectus ab illa (id enim magnam diceret imperfectionem in scientia infusa derogantem eius dignitati) sed solum quod Christus ea qua per scientiam infusam cognoscebat potuerit concomitanter vel consequenter inferiori quodam modo per phantasiam cognoscere, quod dignitati scientie infusae nulla ratione repugnat.

24.

Contrariū
sentit Du-
rand, sed
refellitur.

Species fi-
dei deser-
uientes hau-
runtur a
sensibilibus
non item
scientie in-
fusa.

Contra hanc conclusionem communiter à doctores receptam sentit Dur. dist. 14. q. 3. quia naturale est homini intelligere per conuersionem ad phantasmata; Verum id nihil probat, quia hæc scientia non est naturalis, nec exercetur per species sumptas à rebus sensibilibus, sed per infusas; unde potest etiam viator per illam cognoscere res sine concursu phantasmatum. Aliter dicendum de fide, cuius actus naturaliter non fit sine phantasmate, cum species illi deseruientes hauriantur à sensibilibus.

ARTICVLVS III.

Utrum hæc scientia fuerit collatiua.

25.

Resp. dua-
bus conclu-
sionibus.

RESPONDET duabus conclusionibus. Prior est; non fuit per discursum & collationem acquisita.

Matth. 17.

26.

Non fuisse
per discursum
acqui-
sitam, prob.

Posterior; quantum ad usum, poterat esse discursiua & collatiua; nam poterat vnum ex alio concludere si volebat; sicut Matth. 17. cum Christus quæsisset ex Petro à quibus reges tributum acciperent, à filiis suis, an ab alienis, respondente Petro; *ab alienis*; concludit, *ergo liberi sunt filij*.

Notandum priorem conclusionem esse certam, 1. quia quicquid sit scientia infusa, siue inquam sit habitus propriè dictus, siue solum species, fuit à Deo infusa.

2. Si fuisset discursu comparata, saltem secundum connaturalem rerum conditionem Christus non potuisset illam uti statim à sua conceptione; cum sine maximo miraculo in eo statu non potuerit uti discursu; & tam subito innumera cognoscere, & proinde non potuisset exercere actus virtutum quæ per huiusmodi scientiam dirigebantur.

27.

Constat
Christum
non neces-
sario discursu
in usu huius
scientie.

3. Communissimà doctorum sententià habitus supernaturales non possunt esse à causa creata tanquam à causa principali; idemque videtur dicendum de speciebus per se infusis. siue ergo scientia infusa sit habitus propriè dictus, siue species, dicendum illam nec discursu comparatam nec verò per discursum potuisse comparari.

Quoad 2. conclusionem notandum etiam satis conuenire Christum in usu scientie infusae non necessariò discursisse, cum ad discursum non tantum requiratur ut plura distinctis actibus cognoscantur, sed etiam necesse sit ut vna intellectio ex alia deducatur; constat autem Christum per scientiam infusam cognouisse tam substantias separatas quam alia simplici intuitu, siue dicamus quod multa vno actu cognouerit, siue actibus distinctis; nam vnus actus non se habuit respectu alterius per modum causae, ita ut vnus actus ex alio deduceretur, & vnum ex alio intelligeretur.

Confirm. Christus per scientiam infusam non est versatus circa obiectum illius inferiori modo quàm Angeli versentur circa res naturales, quas tamē cognoscunt sine discursu. unde licet aliqui nō impro-

babilitate censcant Angelos uti discursu circa quadam supernaturalia, non efficitur Christum pariter debere uti, cum etiam qualibet supernaturalia creata per hanc scientiam intuitiue cognosceret cum existerent. His communiter receptis

Controuersia esse potest num in exercitio huius scientie potuerit uti discursu. & quidem S. Th. hæc videtur affirmare, quod etiam sentit Medina hic. Durand. dist. 14. quæst. 3. Lorca disp. 51. membro 2.

Sed probabilius videtur quod non potuerit uti ut censent Suarez disp. 28. sect. 2. Valquez disp. 52. cap. 3. num. 18. & sequentibus, & alij, quorum sententiam censet probabilem Med. & patet etiam dictis; Christus per hanc scientiam clare videbat res ipsas ut in se sunt, & intuitiue cognoscebat quidditates per proprium conceptum; igitur nihil illi poterat esse notum per aliud quasi ex alio deduceretur. Futura per reuelationem simplici actu cognoscebat. Imò ex dictis potest colligi quod per hanc scientiam res absque compositione vel diuisione cognosceret.

Nec obstat locus Matth. 17. citatus, ubi Christus videtur usus discursu & vnum ex altero collegisse, non enim idcirco censendus est interius usus discursu quod exterius per modum illationis explicuerit rem de qua erat quæstio: quemadmodum non sequitur quod Deus discursat, si hominibus loquens & eorum captui se accommodans vtatur particulâ illatiuâ.

ARTICVLVS IV.

Utrum hæc scientia in Christo fuerit maior scientiâ Angelorum?

COMPARAT hanc scientiam Christi per se infusam cum scientia naturali Angelorum, respondetque duabus conclusionibus.

Prior est: scientia infusa quantum ad id quod tenet ex parte Dei influentis est maior & perfectior scientiâ Angelorum, quia & ad plura obiecta se extendit, & illam certitudine superat. Prius patet: Angelus per naturalem scientiam solum potest nosse entia naturalia, supernaturalia verò non potest attingere; Christus verò per scientiam infusam cognoscit non tantum naturalia, sed etiam supernaturalia, ut ex dictis patet. Posterius etiam patet, quia res per hanc scientiam utpote supernaturalem & longè excellentiorem participationem diuinæ scientie longè clariùs & perfectiùs penetratur quam per virtutem naturalem intellectus Angelici.

Posterior conclusio est, quantum est ex parte subiecti hæc scientia est infra scientiam Angelicam, quia est in anima cui est naturale cognoscere per conuersionem ad phantasmata & per discursum.

Verum hæc conclusio non caret difficultate, quamuis enim sit naturale anima mortali corpori vnite cognoscere dependenter à phantasmatibus, non sequitur quod ab eis dependeat in usu cuiuslibet notitiæ; nam etiam S. Thom. art. 2. docet quod anima per hanc scientiam possit cognoscere non conuertendo se ad phantasmata; similiter quod non necessariò sit via discursu in exercitio huius scientie, igitur ex illis capitibus scientia animæ Christi non est dicenda inferior scientiâ angelicâ ex parte subiecti. Adde quod non solum

28.

D. Tho. vi.
detur affir-
mare po-
tuisse uti
discursu.
Idea Dur.
Lorca.
Negatiua
ab Auctore
præferunt.
Suarez
v. asq.

Coroll.

Obiectum
occurrit.

29.

Sensus an-
D. Tho.
Resp. 1.

Scientia in-
fusa est lo-
gè excel-
lentior par-
ticipatio di-
uinæ scien-
tiæ, quam
scientia
Angelica.

Resp. 2.
30.

Conclusio
D. Thom.
videtur dis-
filiis.